ODE, DICTA AGATHYRSVS, DE SOLATIO MACILENTORVM; ET CERTAMEN PARVI, ET MAGNI; SIVE PYGMÆI, ET GIGANTIS,

Tribus Dialogis expreſſum.
Item Ode contra vanam Corporis ac virium oſtentationem.

è Libro Carminum
IACOBI BALDE S. I.

LOVANII,
Formis ANDREAE BOUVETI

Anno M. DC. XLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTOR BONE.

VBique certamina; ubique bella: Pacem laudamus; ſed dãnamus cũ ſpes affulget victoria, hanc ſibi propitiam & vovet, & ſpondet quiſquis certare audet Troilus

Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli.

Troilus ubique eſt; etiam inter pocula, & amica convivia: etiam in mediis pacis artibus, & locis quibus artes pacis & ſtudia coluntur, non minimo ſtudio certatur de umbrâ aſini; de lanâ caprinâ, barbis, crinibus; de modo & forma veſtium, calceorum, pileorum, corporis; de veritate, in rebus floccipendendis aliis, ridiculis æquè: cuius veritatis nec pilum alterutra pars ſæpè tenet, licet obtorto collo eam rapiat quò libido trahit, & ambitio mentiri docta. Intereà res pulcherrimas & honeſtiſſimas quæ ſe oculis & animis noſtris ultrò ingerunt, & ſciri meliùs poſſunt, & non niſi

Digitized by Google

turpiter, aut damnoſè etiam neſciuntur, cæci; faſtidioſi & faſtoſi præterimus, verbis inanibus de re inaniori & nihili litigare & pugnare contenti. Eam rem, (ſi modo res eſt, quæ nuſquam ſæpè niſi noſtro in phantaſmate exſtat) ſi in medio ſapientioribus contemplandam ponere liceat, exclament ſenſu ſuo, verbis Senecæ Præfat. l. 1. q. Natural. Hoc eſt illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni dividitur? ô quàm ridiculi ſunt mortaliũ termini! *Tum*: Si quis formicis det intellectũ hominis, nónne & illæ? *&c.* Formicarũ iſte diſcurſus eſt in anguſto laborantiũ. Quid illis & nobis intereſt, niſi exigui mẽſura corpuſculi? *Hanc mortalium dementiã notare voluit, qui paucas has tibi voluendas obtulit paginas, ut ex alienâ dementiâ tuam corrigas; ut ludicris, & magnanimo indignis homine, omiſſis certaminibus, aliquid corpore, quamcumque pulcro & magno, formoſius & altius, immortalem animum, animiq́; & rerum omnium conditorem Deum ſpectare diſcas, & nonniſi quæ eò ſpectant. Hoc animo certamen hoc ſpectet, legat, ſapiat, quiſquis eſt, quamcumque ſit magnus, brevi*

Sarcophago contentus erit. Mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Digitized by Google

DIALOGVS I.

De Forma Corporis.

PYGMÆVS. GIGAS.

P. Salve MAGNE GIGAS. ſi ſonitum tamen
Audis: & gracilis vox mea diſſitas
Hinc pertingit ad aureis.
Num turres, etiam ambulat?

G. Salve *parve puer*: Myrmidonum genus,
Pugillaris homo. fallor? an obruit
Me glaucoma? quis ille
Paſſer, ingreditur ſolo?

P. Velox in tereti corporis eſſedo,
Artus dum facileis circumago: ſat eſt.
Nil poſſit dare majus.
Nil natura beatius.

G. Quem procera parens edidit integrum,
Stirpem non dubiam Semideûm probat.
Audis? eſſe puſillum,
Quædam eſt corporis orbitas.

P. In nobis veneres, & lepor, & joci,
Argutique ſales, atq; habitus decens;
Et vernæ thymus auræ,
Et triplex habitat Charis.

G. Si quis ſanguinea conſpicuus roſa,
Sed curtus, radiat veſtibus aureis;
Formoſum voco : nullus
Veſtro PVLCER in ordine.
P. Fomorſosſed enim quis Tityũ vocat,
Dejectumque cava rupe Damaſtora?
Nil deformius atris
Vaſtâ mole Cyclopibus.
G. Deſpectis quis enim pumilionibus;
Seu ſit charus Hylas Oceanitidi,
Seu ploratus Opheltes;
Formam ruſticus invidet;
P. Turpis forma bovis, cui palearia
Pendent: turpe genus mobilis inſulæ.
Mi balena videris,
Magellanica: non homo.
G. Vitæ mica brevis, cædua corporum
Scobs, & dimidij vix prodromus viri:
Mi ſcintilla videris,
Si riſus tibi ſubſilit.
P. At certè plateis puriùs oppida,
Quæ ſunt parva, nitent; Magna LVTETIA,
Eſt plerumque lutoſa.
Squalent maxuma ſordibus.
G. Cæli quod ſpatium quantáque vaſtitas!
Ingens noſtra velut gloria CIRCVLVS.

Terræ

Terræ gloria veſtræ
Puncto clauditur vnico.
P. Noſtri Smyndirides, & Salapuſius,
Et Gyges, & Itys, dulcia nomina:
Et Nireûs, & Adonis,
Et tu candide Cillare.
G. Noſtri ſunt Capaneûs, Hippomedon, Mimas,
Sarpedon, Bytias, Pandarus, Arſaces,
Pallas, Tydeus, Arnon,
Phorbas, Acrocorinthius.
P. Felix, qui potuit ſub tenui lare,
Sed culto Patriæ degere; ſed ſuo.
Parvæ pinguia glebæ
Vaſtis præfero ſaltibus.
G. Pygmæis quibus eſt SPARTA ſatis ſua?
Hic optat cubito longior, hic manu;
Alter poplite maior,
Hic toto fiëri pede.
P, Quantillum, nebulo, denique me putas?
Molē quot ſcopulis exſuperas meam?
Metiri placet artus:
Æquus judicet arbiter.
G. Cur non abripior trans Aliagmona!
Is demum furor eſt intolerabilis,
Ridendúſque: leoni
Si litem moveat culex!

P. Ver-

Digitized by Google

P. Verbis nil agitur bella crepantibus.
Congreſſus dirimet provoco. conferſ
Tantis membra lacertis.
Si vis : exuo calceos.
G. Cur non ipſe meos exuo? metiar
Iſtud prodigium. Suſcipe Pumilo.
Hæc menſura ſtaturæ.
Quanquam *calceus* eminet.

DIALOGVS II.

De Dotibus Animi.

PYGMÆVS. GIGAS.

P. Vivendi genus in corpore fuſius
Mirentur ſtolidi: mentis acutior
Succinctam tamen optat
Membrorum Dialecticam.
G. Diis grates: quod ab hac arte removerint.
EXPORRECTA MANVS, Rhetoricum placet
Corpus. non ego *pugno*
Compreſſus cupiam mori.
P. Parvi, queis teneram contrahit indolem
Membrorum brevium grata modeſtia;
Vnus quod TITVS olim,
Orbis deliciæ ſumus.

G. Ma-

G. Magni, qui ſolidis ardua viribus
Cælo ſurrigimus corpora: non quidem
Veſtro more faceti,
Sed nec *ridiculi* ſumus.
P. Num quò major, eò quis ſapientior?
Dii nobis dederunt ingenium. truci
Neſcis, quis Polyphemo
Frontis lumen ademerit?
G. Num quò quiſque minor, non & ineptior?
Mentis plus elephas, ánne cuniculus;
Bacchi vector aſellus,
An Martis ſonipes habet?
P. Gemmis quid minus eſt? at pretioſior
Cenſetur Scythicis unica rupibus.
Malis eſſe ſmaragdus,
Quàm cautes Rhodopeïa.
G. Malis in viridi cedrus ad æthera
Intonſum Libano tollere verticem;
Quàm ſemper malè olenti
Morderi cythiſus capro.
P. Si tentare juvat navibus humida:
In ſummo placidi margine fluminis
Ducam tutiùs alnum,
Quàm Tirrhena per æquora.
G. O quicumque ſecas remigio fretũ:
Seu cymbâ veheris, ſive liburnica;
Anguſtas cave *fauceis*.
Et ponti *brevia* improba.

Digitized by Google

P. Quid parva minus eſt, dic, ECHE-
NEIDE ?
Atqui turrigeris obvia claſſibus,
Nautæ, *ſiſtite*, dicit;
Siſtunt : *ite*, ſupervolant.
G. Nil vobis fateor, nil, equidem ſcio.
Eſt uſquam Pumilis imperioſius.
Quod cælum, mare, tellus.
Nullo non queritur loco.
P. Nocturni lemures, quæque hominem ſono
Triſti Cerbereæ terrificant canes;
Turrita face longi
Apparent prope mortuos.
G. At non Cælicolis hoc vitio datur,
Proceros, veluti robora, ſuſpici.
Celſo Iuppiter ore
Nubeis cogit, & intonat.
P. Parvis ignis ineſt ille Prometheos,
Divino procul hinc raptus ab æthere;
Magnis tarda Bootæ
Hærent pectore frigora.
G. Magni conſilium ponderibus ſuis
Librant, & populos imperio regunt.
Olli ſceptra capeſſunt:
Olli fortiter imperant.
P. Naturæ genium, ſi ſapis, inſpice.
Ignis, quà minor eſt, eſt magis efficax.
Summo flammea cono
Vrit *Pyramis* acriùs.

Digitized by Google

G. Dic: piſum fragilis canna volatile
Vi majore rotat; quàm globus ænea
Vibretur catapulta,
Tormentiſque curulibus?
P. Quamvis exiguum corporis anguli
Sortitus; cubitis eſt tamen altior
Sexcentis habitator,
Eſt ingens ANIMVS mihi.
G. Eheu! quam miſer eſt incola carceris
Arctatus ſpatiis, atque domo ſuâ
Major. Regibus aulam
Dignam REX ANIMVS petit.
P. Palmas in mediis ſæpè periculis
Non uno referunt nomine maſculi.
Certè ſtrenua Virtus,
Virtus *maſcula* dicitur.
G. Sic Virtus etiam dicitur improba;
Sic Lucus ſterili lucet in Algido.
Vobis maſcula corda:
Nobis ſunt animi mares.
P. Ille inceſtificus terror & inſolens,
Ille ille Iſacidum non dubius tremor:
Immanis GOLIATHVS
Noſtrâ procubuit manu.
G. Veſtrâ! Paſtor erat jam validus manu
IESSIDES; juvenis magnanimus feros
Iam porrexerat urſos.
Qui vos in leporem viri?

Digitized by Google

P. At non Marmaricos Romuleus CATO
PSYLLOS anguifera ſprevit in Africâ.
Hi fatale venenum
Pellebant procul agmine.
G. Tu *Pſyllos* memoras. fortiter HERCVLES
Dicatur potiùs. maximus HERCVLES
Veram contudit Hydram.
Pæan debitus HERCVLI.
P. Pellæus MACEDO quātulus aſpici?
POROS ille tamen perculit Indicos.
Immortale tropæum
Non deleveris invide.
G. Dicam, quod mihi ſit, *Nane*, celebrius,
Vtrumque, in nihilum ſi redigat DEVS,
Saltem tunc ego MAIVS
Fiam, tuque *minus* nihil.
P. Vis unita valet. ſparſa per ambitū
Et diffuſa perit. Bella recollige;
Res virtute geruntur,
XERXES, non numero bene.
G. Horum teſtis ego: nam neque, ſi maris
Totius, pueros in ſimileis tui,
Convertantur arenæ;
Æquent me, licet unicum.

P. Nec

P. Neu nos vile genus, neu timidum voces.
In cornu gerimus fœnum, odia & faces.
Quondam figimus enſeis
A plaga memorabileis.
G. Credo; nam veteri voce Quiritium,
Formicis etiam bilis ineſt ſua,
Ne rumpare, lagenâ
Flatu turgidior, cave.
P. Stringamus gladios. Tu capulum refers,
Vim mucronis ego. Dic, age, dum furit
Mars & vulnera miſcet:
MVCRONEM, an *capulum* times;
G. Neutrum, prô rabiem! menę etiam tuâ
Auges tangere acu? Quos ego! ni fugam
Captes *Grille* ſepultum
Vaginæ citus inferam.

DIALO-

DIALOGVS III.

Pygmæi & Gigantis prærogativæ.

PYGMÆVS. GIGAS.

P. Nunc ô, nunc adeò parvulùs HANNIBAL
Totis cōgrediar viribus. inſonēt
Noſtro barbita campo.
Ferales ſileant tubæ.

G. Nunc, nunc congrediar SCIPIO, pollice
Hoc fruſtum *Libyci* ſternere *muſculi*.
Edat buccina ſignum:
Et cedant lituis lyræ.

P. In rebus modus eſt. immodicum nihil
Durat. perpetuo ſuccutitur metu
Is, cui Fata dederunt
Longam viuere perticam.

G. In rebus modus eſt. immodicè breveis
Odi. ſe fruitur longè animoſiùs
Vir, cui Fata negârunt
Preſſam viuere ſpongiam.

P. Optares minui dimidium tui,
Curvandus toties; ianua cùm premit,
Et

Et rectum furibundus
Allidis trabibus caput.
G. Novi, qui pretio ſupplice Comicos
Perones gradiens emit; vt altior
Conductis peregrinum
Scalis lamberet aëra.
P. Prærupti ſilices, ſaxa Liguſtica,
Aſpectu ſubeunt nubila tetrico
Viuis conſitus hortis,
Multò collis amœnior.
G. Atqui dulcius ex monte fluentia
Rerum, & tot capitum ſparſa papa-
uera, &
Nanos cernere colleis,
Contemptu miſerabileis.
P. Sed nos nō toties fulmina verberāt,
In monteis rapida torta Iovis manu.
Paſſim funera ducunt
Devaſtata ceraunia.
G. Dum nos verticibus ſidera tangi-
mus;
Quæ ſublime caput fulmina verberēt?
Summo fulget in axe
Longè purius otium.
P. Nos rerum Domini. Roma paten-
tibus
Frænis cuncta regit: fæmina Conſules
Romanos: ea parvo
Eſt ſubjecta Cupidini.

G. Hic

G. Hîc, ô nequitiæ puſio maximæ,
Hîc vincis: fateor, Cyprigenâ ſatus
Caſtum prædo pudorem
Veſtro corpore decipit.
P. Non & noſter erat, quem Iovis armiger,
Donatum roſei nectare poculi
Pincernam, ſuper aſtra
Vncis ſuſtilit unguibus?
G. Cur illos retices, quos rapiunt grues
Alis præpetibus trans liquidum nihil?
Sic te præda volucrum
Auferri ſinis! ô Virum!
P. Laudetur croceus Praxitelis Puer:
Et quem Protogenes lactea candidum
Infantem Genitricis
Graiæ pinxit ad vbera.
G. Timantes celebri laude ſuperbiùs
Sub vaſta poſuit rupe Pyracmona:
Armatumque Theonis.
Ingens fama canit Virum.
P. Longum, neſcio cur, triſtius eſt Brevi.
Tædi, neſcio quid, longum habet & viti.
Si ſint libera vota:
Optabo breve gaudium.
G. Quid cenſes brevibus de *Gyaris*? malum
Dic

Digitized by Google

Dic, ex carceribus vis minus eligi?
Parva eſt dira *Seriphus.*
Majorem metuas magis?
P. Cùm ſtringit medium ſumma dies polum:
Libratóque pares lumine dividit
Formoſiſſimus horas;
Vmbras Sol minimas facit.
G. Veſpertina tamen gratior incidit,
Quamvis vmbra ſuo corpore longior.
Tunc ſe libera campis
Credit turba, nec æſtuat.
P. Lælaps, & Pterelas, & Dromas, & Nape,
Et Dorſeus, & Hilax, & niger Asbolus
Haud mulcent. Melitenſis
Iſſa, eſt gratior omnibus.
G. Sed nomen validi majus habent canes.
Dicuntur meritis laudibus HECTORES:
Sumunt nomen ACHILLIS,
Æquanturque leonibus.
P. Nonnumquam Citharæ CYNTHIVS aureæ
Inſertum ſonitu lactat amabili:
Tunc non vilior Echo
Intus ludere geſtio.
G. Rem miram memoras. Sic, niſi fallor, eſt
Pu-

Pulex in caligis, muſculus in ſcrobe;
Et ne deſit acumen
Sic telum in pharetra latet.
P. Argilla patinæ ſæpius obliti,
Sub coctæ praſina nube ſigilinis,
Ceu regale tragema,
Menſis inferimur Deûm.
G. Non tantis equidem dignus honoribus,
Convivis fieri ludubrium petam.
Malo accumbere menſæ,
Quàm ſiſti breve ferculum.
P. Vitæ fila meæ gemmea, non ſine
Byſſo, ſollicitâ net LACHESIS manu;
Veſtræ camparo craſſis
Vitæ fila rudentibus.
G. Vitæ fila tuæ (quando adeò placent)
Et flauæ ſuperant licia Palladis.
Quæ non Parca, ſed artis
Solers nevit aranea:
P. Reſtim juſta tibi Fata, precor, neăt.
Et nent. crudus enim & craſſus es vnicè.
Mi de virgine lana
Veſtis candida texitur.
G. Addo: quæ gracilis cunque tibi Dea
Ex ſpina ſubigit pendula ſtaminum:
Ne naſo tenus erret,
Vi-

Vitrêis vtitur orbibus.
P. Rides? te rigidis aſpera cautibus
Excidit genetrix. te mare Caſpium
Sævis exſpuit vndis.
Suxti tigridis vbera.
G. Ploras? te genuit, cùm gemuit Thetis.
Implevit madidas vnica cærulæ
Matris lacryma cunas:
Qualis gramine labitur.
P. Cur tantum ſpatij bellua gloriæ
Iactas? ſola probant funera, quantula
Sint corpuſcula. plus me
Tangis mortuus, an vides?
G. Si non plus video, plus tamen occupo.
Mi vix ſufficiunt ter tria jugera.
At tu funus, alaudæ
Nido paupere conderis.
P. Vos plerumque feris eſca volucribus
Proiecti, Geticas paſcitis alites.
Nos componimur vrnâ:
Quam circùm violæ fragrant.
G. Vt clauſus recubem pyxide! ſtat mihi
Orbis pro tumulo. non moriar tamen
Infelix. habet urnam,
Quem cœli tegit ambitus.

P. Vt

Digitized by Google

P. Vt parvi modico, ſic placido ſitu
Manes ARCHEMORI ſub caſia virēt.
Nemo læſus odore
Noſtras exequias fugit.
G. Haud vulgaris honos, magna cadavera
Accedente metu dignius aſpici.
Hic eſt nobilis horror,
Famamque ENCELADI decet.
P. Optent cruda Scythæ. Da bone Iuppiter,
Aut hoc, aut ſimili carmine me legi.
Heic parvus iacet Hyllus.
Olim nix, roſa, lilium,
G. Optet blanda Cilix. Da bone Marſpiter,
Aut hoc, aut ſimili marmore me tegi.
HEIC MAGNVS IACET HAYMON,
NOLIS PLVRA; FVIT GIGAS.

MOR-

MORTIS
AD MORTALES
PARÆNESIS.
Contra vanam corporis ac virium oſtentationem.
ODE.

NONDVM poſt cineres, juſtaq; fulmina, &
Phlegræa domitam ſtrage ſuperbiam,
Vanus Terrigenûm detumuit furor!
At ne ſola quidē ſtirps ENACIMIA,
Immanive ſatus PORPHYRIO Gigas,
Bachatur tumido corpore vaſtius!
Qui paullò ſpacium grandius occupāt,
Iam ſe celſa rati tangere nubila
Deſpectant alios, immemores mei:
Ceu ſterni nequeant, inſuperabiles.
Inſani. quis enim reſtitit, aut avis
Ex veſtris ſupereſt? Nil validum mihi
Munitùmque ſatis. cum fragili caſa
Summas Pyramides, has pede protero,
Illas frango manu. Vilibus arduas
Cum virgis Libani deiicio cedros.

Que-

Quercus Cæſareas miſceo Populo.
Tam morus ſapiens, quam fatuæ iacent
Ficus in tumulis, quo volui loco.
Cultro parva cadunt, magna ſecuribus.
Et terrena meis glebula viribus
Obluctetur *Homo*! Nunc BRIAREVS vbi
Ille eſt centimanus? GERYONES vbi
Horrenduſq; MIMAS? nunc ubi cęteri
TITANES, hominum monſtra rebellium,
Auſi cum ſolidis rupibus inſulas
In cælum anguiferis tollere brachijs?
Letum cuncta domat. nemo recalcitret.
CONTRA ME CLYPEVM FERRE, PIACVLVM EST.
E terra geniti diſcite Filij
Faſtum ſollicitis ponere frontibus.
Nullum, qui minor eſt, ſpernite ſupplicem.
Saltem frater erit: frater originis
Ejuſdémque luti. quóque minor, magis
Dignus præſidio. Vultur aëdoni;
Securis, poſito fulmine, ſpinulis
Ales vera Iovis; & lepori leo
Colluſiſſe datur. Si potuit lupus

Blan-

Blandiri capreis, vrſa cuniculo:
Et te, magne Gigas, Pumilionibus
Indulgere decet. Tu quoque, *Maſcule*,
Solers obſequijs ac precibus tibi,
Ne ſævire velint, concilia MARES.
Ah, ne ſūma petas. qui cupit amplius,
Quàm NATVRA dedit; non capit amplius.
Sed perdit, quod habet. Nō ita Caſpiis
Illiſus ſcopulis Oceanus tumet,
Æſtu, cùm rapido ſpuma refunditur:
Vt fervens animi pſyllus Homuncio;
Qui deſiderijs ictus inanibus,
Parvo ſe queritur corpore deſpici.
Nunc in triſtitiæ labitur alueum,
Suſpectàtque viros; quorum humeris premi
Submittique timet. nunc nimis anxiâ
Expendit facileis aure facetias.
Idem lętitijs diffluit improbis:
Poſtquā artus tereti menſus arundine
Excreviſſe putat: tam ſibi credulus,
Quàm voti cupidus, Sed nihil adijcit
Teſtæ ſtulta brevi mentis opinio.
Non, ſi continuis rana ſonoribus
Ripas, ſtagna, lacus, littora compleat,
Rumpaturque; maris cærulei bovem
Æquet. Rana manet rana. Quid, ô, caput

Empt

Emptis ædificas, *Maſcule*, crinibus?
Fruſtra te crucias, inque pedum micas
Primores digitos, pungere doctior
Quàm calcare ſolum. ſuppoſitæ nihil
Lamnæ proficiunt: ſutilibus nihil
Cum fulcris tragici pondera calcei.
Addas longa licet crura ciconiæ:
Perſonæ cubitum non potes addere.
Ars moroſa patet. deſinit in jocum
Vilem ridiculæ ſcena ferociæ.
Vt circumſpicias omnia, te tamen
Nunquam major eris. provehet vnica
In majus placidæ forma modeſtiæ.
Altos comprimito, *maſculè* ſpiritus:
Dicériſque tribus túrribus altior.
Pronus ſæpe genu flectere, creveris.
Contemni modicus ni fugis, emines:
Dici non humilis ſi petis, expete.
Submittas animum, pulcriùs eriges.
Qui ſe diminuunt ſponte, decēpedam
Membris adijciunt. Ocyus advolat
Opportunus HONOR, vimque jacentibus
Infert, & liquidum tollit ad æthera.
VIRTVS neſcit humi ſordida repere.
VIRTVS alta ferit ſidera vertice.
VIRTVS efficiet te Superis parem.
VIRTVTIS ſpacio major habeberis.

Digitized by Google

MVSA EPIPHONEMATICA,

Certamen referens, quod ſtulti faciunt; Sapientes, cùm tempus, & dulce eſt deſipere in loco, canent.

I.

Mala malos, & puſillos
Terra creat homines:
Credas te videre gryllos;
Gryllos rectè nomines.

II.

Monſtra Tellus fert gigantum,
Et ſuccumbit paſsibus:
Vaſtum corpus, mens infantûm
Valet tribus aſſibus.

III.

Cum te mater generavit
Infelici genio;
Numquid ſimul te donavit
Statim hoc ingenio?

IV.

Quod me vides, ferox rides,
Vix tangentem genua;
Maior duplo, quam non vides,
Mens exſurgit ſtrenua.

Digitized by Google

V.

Ecce mens dimidiata
Huic ineſt muſculo;
Ima pars, & humi ſtrata
Latet in corpuſculo.

VI.

Fronti tuæ gygas vane
Non eſt hoc periculum.
Mihi loca ſis inane
Mentis hoc cubiculum.

VII.

Ergo credis hanc giganti
Parvam vt pediculo?
Eſſe vires elephanti
Muri vt ridiculo?

VIII.

Quia virtus eſt vnita,
Audet plura troſſulus.
Elephantem ſæpe vitâ
Mus privavit parvulus.

IX.

Barrus, licet annis rigens,
Non maiora poterit?
Qui vel ſemel pedem figens
Mures centum proterit?

X.

Mî non procul cerebello
Ardet cor, & æſtuat,
Nullo tibi cum duello

Cor-

Digitized by Google

Cordis ignis fumigat.

XI.

Adi parvum parvus ignem
  Totus vt concaleas.
Muſcæ potum dic inſignem;
  Et fac inde valeas.

XII.

Mihi charum, quod eſt parum:
  Parum ſatis reficit.
Sed avarum, non ſat gnarum,
  Senſus primum deficit.

XIII.

Cape parve, cape potûs
  Plenum digitabulum.
Cave ne mergare totus:
  Sit hæc mica pabulum.

XIV.

Tanta moles micam ſalis,
  Nec aceti continet:
Vappa, vappa quod à talis
  Frontem vſq; pertinet.

XV.

Ecce Gryllus narrat mira;
  Potûs guttâ potus eſt:
Totus fel, & totus ira
  Cum aceto lotus eſt.

Accinebat I. *A.*

FINIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google